

dam regressum ita confirmant, ut satis mirari non possimus, eadem contra eandem hypothesein à Viro Laudatissimo contorqueri potuisse. Primò enim bacillus gossypio involutus ac de super per *e* immissus, cùm aërem inter *e* ac *d* contentum vi manûs deprimentis valdè comprimatur, nec elabi facile ipsum ex ulla parte patiatur; hujus elaterium ordinarium illâ novâ compressionis accessione in tantum augetur tandem, ut externi aëris elaterem ordinarium & aquæ obturaculo subjectæ pondus accessorium simul sumpta excedat: Quo factò, cùm obturaculum supernè ad *a* majore vi deorsum urgeatur, quàm infernè ad *b* sursum, necessum est illud valvulâ suâ statim exprimi; idque adeò manifestum est in hac nostra hypothese, ut vis illa manûs deprimentis major haut requiratur, quàm quæ solum aquæ obturaculo elapsuro resistentis pondus aliquantisper excedat. Sicut enim externus aër, cum interno aliàs parium virium, in Phænomeno ordinario vincit solâ cylindri aquei obturaculum infernè urgentis accessione; sic in hoc extraordinario, internus adjutus à manu deprimente tantilli roboris, quod aquei illius cylindri accessionem possit superare, victoriam necessariò reportat & obturaculum extrudit.

CONCLUSIO XII. Similiter in altero MORI experimento omnia succedunt ex voto & necessitate nostræ hypothese-

H

Causa 14.
Phæn,




Fig. XIX.